(12

# D. XAVERII DURINI

## EPISCOPI MARSORUM

## NUPER

## AD AVERSANAM ECCLESIAM

## TRANSLATI

## AD CLERUM ET POPULUM SUAE DIOECESIS

*EPISTOLA PASTORALIS.*




Neapoli MDCCCXXIII. Ex Officina Bibliographica et Typographica.

Digitized by Google

Digitized by Google

# D. XAVERIUS DURINI

ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS
COELESTINORUM

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

## EPISCOPUS AVERSANUS

VENERABILIBUS FRATRIBUS ET CHARISSIMIS IN CHRISTO FILIIS DIGNITATIBUS ET CANONICIS PAROCHIS CLERO ET POPULO UNIVERSO CIVITATIS AC DIOECESIS SUAE.

*Salutem, pacem, et gaudium in Spiritu Sancto*

In humilitate obediens voci Domini Dei, qui loquutus per os Ministrorum suorum suscitavit me inopem, ut Marsorum solium tenerem, tremebundus abii in Montana. Illic attamen ob quamdam situs conformitatem cum sacra Magellae Eremo, in qua solemniter Deo devovi non leve ad fuit animo oblectamentum. Propterea officium voluptati conjungens numquam inde discessi, nisi aut quosdam dies agerem festos, aut Sanctae Visitationis partes implerem, quam nullo utut humili praetermisso Pago per disruptas, ultra quam credi potest vias, Deo favente, integre sum exequutus.

Quum autem solitudo, et recessus meditationi favebant eorum, quae erant forte destruenda, dissipanda, aedificanda, plantanda, quaeque, festinata lustratione angustiis accomodata locorum, concipi, constituique haud facile-



Digitized by Google

poterant, remotionis ab illa fede nuntium accepi. Postulatione enim habita ad Invictissimum Summum Pontificem Pium Septimum fel: rec: renovata ad Leonem XII feliciter regnantem nomine Ferdinandi Primi Clementissimi Regis nostri, cujus bonitatis praesertim erga me non est numerus, ad Aversanam Cathedram, fui translatus.

Perpendite Vos Ven: Fratres, et Filii mei dilectissimi, qui ejus praecellentiam ante oculos habetis, cronica Praesulum mente tenetis, qui in ea sedentes omnigenis ornamentis insignes illustrationem potius dederint, quam acceperint, in quantam animi, et corporis perturbationem eum incidi necesse fuit, qui tantum vacuus est meritis, quantum illi pleni fuerunt. Neque enim ego in ea describenda morabor quum opus difficilis foret eventus, difficilius inveniret forsitan fidem, et utrumque ad eam removendam inutile.

Fiducialiter proinde convertar ad eum, qui consolatur humiles, corroborat debiles, quique dat gratiam in opus Ministerii, ad quod ipse assumpsit.

Ejus autem primum est donum a Senatu circumdari, qui probitate, et doctrina omnibus est in exemplum, cujusque virtutes admiratus sum ego ipse, quum antequam SS. Patriarchae Benedicti ordo devastaretur per turbinem non auditum a soeculo, saepe fuerim apud vos diversatus. Proinde non vos praeloquor Dignitates, et Canonici Spectatissimi, nisi ut verbis ornem, quum non sit mihi opus vestram admonere memoriam, quae deceant eos, qui sunt in Clero Primores. Probe etenim scitis tanto quemlibet puriorem moribus, severiorem vita, graviorem incessu esse de-

bere, quanto superius aliis se conspicit assidere. Probe scitis, Doctore praeeunte Mellifluo, quam pia, quam consona, quam fervens melodia debet esse psalmorum, quibus in Templo demandatum est in conspectu Angelorum benedicere Dominum, et superexaltare in soecula, ut vitae, et bonorum affectuum, non musicae, sed charitatis regulis melos compositum quadam similitudine consonantiae Dei repraesentare, et sacrificare videantur. Laudem ergo cum Coeli cantoribus in comuni ducentes, utpote cives Sanctorum, et domestici Dei, psallite sapienter. Sic delectabitur anima vestra, cibus enim in ore psalmus in corde sapit, sic olocaustum vestrum pingue fiet, sic placabitis Regem, sic placebitis principibus, sic totam curiam Nobis benevolam reddetis, et odorabitis in coelestibus suavitatem odoris. Sic denique erit inter vos pax, concordia, et unitas, quam tantopere commendat Apostolus, quamque inter membra ejusdem corporis extare necessum est.

Hanc autem non dicam, ut mecum potissimum habeatis, sed ejus effectus in verbo, et opere exopto ardenter, et depraecor. Si enim provide cautum est, ut cujuscumque Ecclesiae rectori, qui proxime adsunt, et decorant, sint ejus collaboratores, consiliarii, et veluti permanens synodus, quantomagis vestro adjutorio indigebit, qui propriae debilitatis est conscius, onerisque superimpositi sibi extimatur. Tanto fretus subsidio libent er gloriabor in infirmitatibus meis reputans merito, ac jure Vos gaudium meum, et coronam meam.

Ad vos statim me verto, qui non solum portatis pondus diei, et aestus, Parochi spectatissimi, sed soepe etiam

noctu urentibus gelu fugit somnus ab oculis vestris. Ad perseverandum usque in finem memorate filios esse sanctorum expectantes vitam illam, quam Deus daturus est iis, qui fidem suam numquam mutant ab eo, et passiones hujus temporis non esse condignas ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Idcirco potissimum attendere primo debetis ad erudiendam spiritu pietatis, et doctrina mysteriorum Dei Juventutem, ne opprobrentur lamentationes parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis. Videte, admonet ipse Christus Magister noster, ne aliquem istorum contempseritis parvulorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, et quia ego propter eos veni, et haec Patris mei voluntas est. Sedulo autem incumbendum, ut statim ac erunt abiles ad tribunal poenitentiae vocentur, quo facilius a tenera aetate discant malum a bono secernere, et quaecumque pudica, quaecumque casta cogitent, et optent: quum per aetatem licebit Eucharistico pane reficiantur ad robur contra succrescentes concupiscientiae motus acquirendum, ita tamen ut convenienter instructis dispensetur. Majori autem sollicitudine opus est cum adultis, ne manducantes indigne judicium sibi manducent. Summa propterea prudentia probandi, aeque enim minus noxii sunt, qui prurientes auribus omni cubito consuunt pulvillos, ac qui aliorum humeris onera imponunt importabilia, quae tamen ipsi neque uno digito tangere volunt. Imitatores igitur illius estote, qui misericordiam diligens, et judicium argue, ait, obsecra, insta importune opportune in omni mansuetudine, et patientia. Quasi dicat, ut explicat eleganter S. Bernardus,

ita foris exercere debetis zelum disciplinae, ut lenitatem non perdatis interius in mente, ut revocando perversos vos ipsos quoque non pervertamini. Sunt namque quandoque malorum vitia arguenda, quandoque tacite sufferenda secundum quod uniuscujusque utilitati videritis expedire, quia non omnes aegroti uno genere medicinae curantur.

Quod vero omnibus prodest est exemplum in verbo, in conversatione bonorum operum, in longanimitate, in suavitate, in charitate non ficta. Sermo enim vivus, et efficax exemplum operis est, facile persuadens quod intendimus, dum factibile probat quod suademus. Verba autem bona, verba consolatoria sunt benigne afferenda in subsidio animarum in extremo agone luctantium. Tunc enim adversarius noster diabolus, qui semper circuit quaerens quem devoret, multiplicabit insidias, augebit conatus, ne perdat praedam, quam amplius assequi nequit. Eorum fidem confirmate, spem roborate, charitatem accendite, ut perduci moereantur in Civitatem Sanctam Jerusalem, ad quam vos etiam intrantes, auxiliante Domino, et quando ei placuerit, ipsi quoque obviam veniant vobis, laetentur, et exultent.

Nec minoris sinceritatis affectu vos omnes alloquor, qui in sortem Domini vocatis estis Sacerdotes, et Levitae, cum Apostolo primum commemorans non sanguinem hircorum, et vitulorum Deo offerre quotidie, sed Filii ejus Jesu Christi, qui per Spiritum Sanctum seipsum obtulit immaculatum. Quod si erat lege praescriptum, ut neque coecus, neque claudus, neque gibbus, neque

lippus, si fracto pede, si manu offerret panes Deo, sed carens omni macula; qua fidei puritate, qua mentis rectitudine, qua cordis munditia oportet esse praeditum, qui offert panem Angelorum vivum de Coelo descensum, quem manducantes vivunt in aeternum? Mundamini igitur si, quod absit, coinquinati estis, non enim fertis vasa Domini, sed Dominum ipsum, vestrisque manibus contrectatis dum ad tantum Sacramentum acceditis. Ad mensam autem sedentes praecedat oratio, recedentes a mensa oratio sequatur, ne similes efficiamini iis, quos objurgat Chrisostomus, qui quasi sues quum jam ederint evertant calcibus mensam, quum gratias agere debeant. Utinam haec intelligerent, et novissima providerent qui peracto vix sacrificio, antequam etiam fuerint Sacramentales species consumptae ipsam derelinqunt Ecclesiam, sicque sunt scandalo potius, quam aedificationi fidelibus. Ex his enim si sint fortasse indevoti, quando tamen ad Altarium accedunt haud modicum orationi vacant ante, et post Eucharistiae sumptionem. Veementer autem Ecclesiam Christi destruit meliores laicos esse quam Clericos, inquit S. Hieronymus. Puritatem vero pro corpore Christi reali comitatur zelus pro mystico. Turpiter enim hallucinantur, qui credunt ad solos Ecclesiae Rectores incumbere salutem procurare fidelium, quasi ac Clerici ad inertiam, atque ignaviam sint vocati, non autem ad spiritualis militiae labores, ut loquntur patres IV Concilii Mediolanensis. Verum est primos ad id teneri ex justitia, alteros ex charitate, sed quid prodest, apposite respondet Bernardus, damnari potius omissione charitatis, quam violatione jus-

titiae. Studete igitur proximorum saluti unusquisque secundam propriam virtutem, et cavete ne acceptam pecuniam sudario ligantes de ejus occultatione judicemini: Pecuniam quippe in sudario ligari est accepta dona sub otio lenti corporis obscondere, scripsit D. Gregorius Magnus. Considerate igitur quae accepistis, atque in eorum erogatione vigilate. Nulla vos a spirituali cura terrena impediant, ne si in terram talentum abscondatur talenti Dominus ad iracundiam provocetur.

Domum inhabitantes, quam sibi aedificavit sapientia, iuvenes dilectissimi eam sollicite acquirite, dum tempus est, ut possitis respondere exprobantibus sermonem; spem in novissimis habeatis, et spes vestra numquam peribit. Ipsa enim praestantior est cunctis opibus, et omnia, quæ desiderantur, huic non valent compari. Longitudo dierum in dextera ejus et in sinixtra ejus divitiae, et gloria. Viae ejus pulchrae, et omnes semitae illius pacificae. Quum autem quae majoris sunt pretii majori egent ut comparentur industria, hinc neque vigiliis parcere debetis, neque laboribus, qui veram sapientiam amantibus non sunt onerosi, in iis enim aut non laboratur, aut si labor est, labor amatur. Utque omnis amoveatur alienationis occasio, quae praesertim in ferventi juvenum phantasia est maxime metuenda, nolite circumspicare in viis civitatis, nec oberraveritis in plateis illius. Avertite facies vestras a mulieribus comptis, et ne circumspiciatis speciem alienam. Plerumque, evenit, admonitio est Bernardi, quod simplici oculo aspeximus versipellis contortor in offendiculum, retorquet, ac scandalum: tangit similitudines, imagines pin-

git, colores aptat, et in thalamo mentis universa consolvit, si forte consensum eliciat, et affectum afficiat. In malevolam autem animam non intrabit sapientia, et non habitabit in corpore subdito peccatis. Potissimum vero videte vocationem vestram, ait vocatus Apostolus: considerate an vocati veneritis, et vocati a Deo, cujus nimirum haec vocatio est. Nec comunem modo vocationem dixerim; qua sane, juxta eumdem Apostolum, quos praedestinavit hos et vocavit, sed ad honorem Cleri, qui sicut est summe eminens ita summam exposcit perfectionem. Decet enim, ut nomen conveniat actioni, actio respondeat nomini, ne sit honor sublimis, et vita deformis, ne sit deifica possessio, et illicita actio, quemadmodum eleganter monet Ambrosius. Idcirco cavete Filii mei dilectissimi, ne vos decipiat Diabolus per fallacem amorem divitiarum, quee cum timore possidentur cnm dolore amittuntur. Resistite fortes in fide contra sugestiones parentum, si electionibus status vestri se ingerunt, ut eas congruenter ad familiae incrementum disponant, unoque actu filiorum, et propriae parantes animae interitum. Justum est de Altario vivere, qui Altario inserviunt, sed non debet confundi finis cum medio, et quaeri lucrum soeculi in Christi militia juxta monitum D. Hieronymi ad Nepotianum, ne fiant Cherici ut possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, et fallace Diabulo non habuerant, nec eos suspiret Ecclesia divites quos mundus tenuit antea mendicos. Cavete ne quis aliena sorde commaculatus ingrediatur in tabernaculum Dei viventis, in templum Domini sanctum, sed ad Altare Christi quasi de thalamo virgines procedatis, quemadmodum idem Hieronymus scripsit

ad Rusticum. Utinam utinam, sunt Divi Bernardi verba notatu dignissima, qui contineri non valent perfectionem temere profiteri, et coelibatui dare nomina vererentur. Utinam magis turrim inchoaturi sedentes computarent ne, forte sumptus non habeant ad perficiendam. Sumptuosa siquidem turris est, et verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio melius nubere, quam uri, et salvari in humili gradu fidelis populi, quam in cleri sublimitate, et deterius vivere, et districtius judicari.

Ad vos paucis me verto severioris vitae cultores, qui si temporibus, quae praestat magis praeterire silentio, quodammodo in Caenobio permansistis sacris non exuti indumentis, perfectioni paupertatis, quam professi estis debetis. Huic ergo patronae non tantum re inhaerete, sed spiritu, ut vestrum sit regnum Caelorum, quod non tam promittitur quam datur, unde in praesenti tempore enunciatum est, cum de aliis virtutibus dicatur haereditabunt consolabuntur, ut acute observat D. Bernardus. Verum non solum vobis adlaborate, sed omnibus exquirentibus veritatem, et quidem doctrina, pietate, exemplis bonorum operum, ut qui ex adverso sunt nihil habeant malum dicere de vobis. Ea enim in tempestate versamur, in qua instituta quo sunt sanctiora eo acrioribus afficiuntur calumniis, et si caute parcitur corpori, dilacerantur membra impudenter per speciem zeli. Ita agentes fulgebitis sicut Sol in conspectu Dei, et sicut Stellae in perpetuas aeternitates, Sapientiam vestram narrabunt Populi, et vestras laudes nuntiabit Ecclesia.

Quid vobis dicam Virgines Deo sacrae, quae illustrior

gregis Christi pars estis? dicam cum D. Bernardo vere Claustrum est Paradisus, regio vallo disciplinae munita, in qua praetiofarum est mercium foecunda fertilitas. Gloriosa res homines unius moris habitare in domo Dei, bonum et jucundum habitare sorores in unum. Hanc videtis in Dei laudibus exultantem, illam hominibus ministrantem, hanc charitate flagrantem, illam humilitate pollentem, hanc in prosperis humilem, illam in adversitate sublimem, hanc in activa laborantem, illam in contemplativa quiescentem, ut vere possit dici non est hic aliud nisi domus Dei, et porta Coeli. Verum huic tantae gloriae, tantaeque felicitati nihil est quod tantopere invidiat, et opponatur, quam spiritus mundi, quem ejus princeps Diabolus insinuare subdule conatur per crates praesertim, quae necessitate, et urbanitate seclusa omnino sunt relinquendae. Recordamini omnia mundi in die sacrationis vestrae, ut stercora arbitratas esse ut Christum lucraretis, proindeque mundo mortuae esse debetis, ut vita Christi manifestetur in corporibus vestris, et veraciter possitis dicere: mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Sic unice delectabimini caelesti sponso, praeter illum aliud cogitare non valebitis, caetera fastidietis, ipsoque contentae omnia praeter illum contemnetis, et merito unaquaeque vestrum valebit repetere: tenui eum nec dimittam. Eum tenentes concupiscentia non superat: eum tenentes paupertas non angit: eum tenentes obbedientia non premit, sed charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes, sollicitudine non pigrae, Domino servientes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sororum communicantes, lam-

padibus Deo plenis obviam ibitis eidem sponso caelestium nuptiarum sempiternis fruiturae deliciis.

Vos modo alloquor, Optimates spectatissimi, qui magistratu, ense, Clamide, aut quolibet genere nobilitatis fulgetis, rogans enixe, ut ea quibus tantopere commendamini ad veram vestram salutem, et gloriam, aliorumque edificationem, et bonum adhibeatis. Quemamodum enim vitia, virtutes etiam eorum, qui sunt in obscuritate parum aut nihil ordinarie observantur, ita eorum, qui excellunt quolibet modo multitudini sunt exemplo in malo, et in bono, prout dictum est per Sapientem qualis rector in Civitate tales habitantes in ea. Utimini Auctoritate, et divitiis *ad bonum faciendum*: pupilli, et viduae in Vos consolatores, et protectores inveniant, vobis enim derelicti sunt pauperes, et orphanis adjutores esse debetis, pro quibus omnibus centuplum accipietis, et vitam aeternam possidebitis.

Tandem os meum ad Vos patens quotquot estis, Dilectissimi Filii, iterum atque iterum repeto Christi Domini verba: Pax vobis. Ubi enim non est pax, nec Deus est, quia sicuti in pace factus est locus Domini ita in discordia, manifestum est, fieri locum diaboli. Quo vero obtineatur, et conservetur oportet propriam considerare conditionem, in quam Deus quemlibet posuit, et secundum eam vivere omni invidentia, et sussuratione remota. Mundus quomodolibet inspectetur varium dissimilem admirandum se praebet, una pars servit alteri; et sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habere, ita homines ut societas existat diversum ordi-

Digitized by Google

nem, gradum, et officium teneant necessum est. Vinculum autem ipsius est charitas, qua nemo circumveniet in negotio fratrem, neque offendat in verbo, sed erit omnium cor unum, et anima una.

Sine intermissione autem orate pro felici statu Sanctae Matris Ecclesiae, incolumitate Supremi ejus Presulis Leonis, quem diu Deus sospitem servet, qui cito nobis donavit; pro conservatione Amantissimi Regis nostri Ferdinandi, cui Nestorem esse Principum sua benignitate concessit, et pro me indigno vestro Pastore, ut sua miseratione det gratiam ad opus meae superimpositum infirmitati rite obeundum.

Fiducialiter vero agetis, votorumque compotes eritis si intercessionem efficacissimam implorabitis Sanctissimae Mariae Virginis, Divi Apostoli Pauli, aliorumque Sanctorum, quibus de Civitate, et Dioecesi mandavit Deus ut custodiant vos in omnibus viis vestris, et benedictio Patris Filii, et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper.

Datum Neapoli die VII Decembris MDCCCXXIII.

VA1
1517825